



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 4. De Confessione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

„fatis culpabile est & nocivum sentietur: conemur
 „quantum possumus adhuc leviter deficiemus in
 „multis. Horologium, ut bonum sit, nonquam
 quiescat à motu, sonet suo tempore & horâ: tur-
 batum est & delirat? jam usum non habet nec sine
 molestia sibi restituitur: instar Horologii est Virgo,
 quæ à divino servitio nonquam cesset, quæ suum Deo
 affectum & amorem perpetuò prodat: at ritè pro-
 gredietur? singula suo tempore & horâ fiant juxta
 Regulæ præscriptum. Aliàs cessat à motu in Deum,
 & hæret absque eo quod depressa animi pondera per
 nova quotidie motiva denuo erigantur? Ab ordina-
 ria revolutione aberrat per neglectum Exercitiorum,
 quæ Regula eo tempore præscribit & requirit? Deo
 invisus est & noxius tibi hic error.

§. IV.

De Confessione.

DUM Tabernaculum erigeret Moyses, præscri- *Exod. 30:*
 bit ei Dominus faciendum, quod & factum, La- *18.*
 brum æneum ponendumque inter Tabernaculum
 „ Testimonii & Altare: „, & missâ, (inquiens) aquâ *vs. 19.*
 „ lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pe- *vs. 20.*
 „ des, quando ingressuri sunt tabernaculum testi-
 „ monii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offe-
 „ rant in eo thymiama, ne fortè moriantur, in cujus
 locum ædificato jam Templo mare fusile substituit Sa- *3 Reg. 7.*
 lomon: in quo, quod melioris hujus ædificii Archite-
 ctus Dei filius in Ecclesia sua erexit, Sacramentum Pœ- *Vide Ri-*
 nitentiæ figuratum Doctores statuunt, in quo Fide- *beram de*
 les *Templo I.*
2. c. 17.

Apo. 1:6. les, omnes mystici Sacerdotes, cum punctio-
 operum & affectuum sordes eluant, & imprimis Vir-
Serm. 2 in gines, ut sic ex Melliflui Burgundionis consilio, quod
Virg. nat. minus habet imperfectio conversationis, suppleat humi-
Domini. litas confessionis. Nolo contritionis motiva fugge-
 rere, confessionis qualitates docere, satisfactionis ne-
 cessitatem urgere, cum id abundè egerim aliàs: ne
 tamen sine instructione, ubi ea vel maxime indiget
 hinc Virgo deseratur, trinam subministro.

PRIMA est, ne à solo suo Superiore dependeat
 eique soli inordinato affectu sit agglutinata: nolo
 suadere, ut eo relicto de uno divagetur ad alium, illud
 namque perniciosum esset consilium, cum diversitas
 clavium feræ sit corruptela, nec nisi nauclerum
 unicum navis gubernaculum admittat: Scio etiam
 utiliore Infirmo Medicum ordinarium, cui experientia
 constet Infirmi complexio & ægritudo, quam si eo neglecto
 peregrinum quærat, unde & rorò videris optatam in eis
 sanitatem, qui hinc sunt Individua vaga. At illud volo,
 dum is haberi non potest quia absens aut impeditus:
 vel si stationem mutet aut per mortem subtrahatur,
 ut tum ejus utatur operâ qui vices Ordinarii supplet,
 velin ejus locum surrogatur: plures hinc difficiles sunt
 easque retrahere ab exomologesi constantia malè constans:
 admittent alienum conscientia arbitrum, pœne impossibilis
 aut certè summè molesta est hæc variatio, idcirco
 que malunt Confessionem ad tempus differre etiam
 sacra Communionem carere. Nonne hæc stupenda
 & culpabilis affectus immoderantia, seu potius stu-
 pida ignorantia, quæ Dominum propter ministrum
 negligat? quid namque in Confessarii persona atten-
 den-

dendum, nonne quod Dei vices agat, cui *is dedit mi-* 2 Cor. 5:
nisterium reconciliationis, qui in omnibus idem est: 18.
 Loquatur Præful Hipponensis, quem *Ecclesiæ Lin-* Hom. 23.
guam inscribit D. Bernardus: „ daturus erat homini- Serm. de
 „ bus Spiritum Sanctum, & ab ipso Spiritu Sancto fi- S. Stepha-
 „ delibus suis dimitti peccata volebat, non meritis ho- no.
 „ minum volebat intelligi dimitti peccatum: nam
 „ quid es homo nisi æger sanandus? vis mihi esse
 „ Medicus? mecum quære medicum. Nam ut hoc
 „ evidentiùs ostenderet Dominus, à Spiritu Sancto
 „ quem donavit fidelibus suis dimitti peccata,
 „ non meritis hominum, quodam loco sic ait
 „ resurgens à mortuis: Accipite Spiritum San- Joan. 20:
 „ ctum & continuò subjecit: si cui dimiseritis 22.
 „ peccata dimittuntur ei, hoc est, Spiritus dimittit vs. 23.
 „ non vos, Spiritus autem Deus est non vos; Deus
 „ ergo dimittit & non vos. Sin autem foveat vel ur-
 „ geat hanc singularitatem Superior, quod à pluribus
 „ fieri testis & censor est Illustrissimus noster Rove- Reip.
 „ nius, ibi res non est integra, neque is Virginis profe- Christ. L.
 „ ctum sed bonum proprium intendit, cujus fortè ali- I. c. 43.
 „ quod detrimentum subiret, si ea alterius operâ ute- n. 2.
 „ retur: culpabilis hæc Zelotypia quæ Virgini negat
 „ quod Sanctimonialibus præsentem etiam directore
 „ subinde concedendum præcipit Tridentinum, eis
 „ præter ordinarium Confessorem, verba sunt Concilii, Sess. 25. de
 „ alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus Reg. &
 „ bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones Mon. c. 10
 „ audire debeat, eâ tamen cautione addit Mantelius De Regi-
 „ quam & ego pro Virginibus requiro: „ Ut ne Ab- mine Mo-
 „ salomo dissensionum & rebellionis adversus op- mial. pag.
 „ timum patrem auctori similes se insinuent, qui o- 108.

S leum

leum igni affundant, tententque & venentur obsequiis, ut ille, corda filiarum Sion: quos gravatur censurâ perstringit D. Gregorius: „hostis, inquis, est Redemptoris qui per recta opera, quæ facit, ejus vice ab Ecclesia (cujus ex D. Cypriano illustrior portio Virgines) amari concupiscit; quia adulterinæ cogitationis est reus, si placere pueri Sponsæ oculis appetit, per quem Sponsus donum transmisit. „ Væ illis (ait S. August.) qui oderunt unitatē Ecclesiæ, & partes sibi faciunt in hominibus: audiant illum, qui volebat eos facere unū in uno: ad unum audiant illum dicentem: nolite vos facere multos, ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit: sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dedit Deus. Illi dicebant ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. Et ille: divisus est Christus? in uno estote, unum estote, unus estote. Ecce volumus esse tuos dicebant Paulo. Et ille: nolo fitis Pauli, sed ejus estote cujus est vobiscum Paulus. Repellit ab amore suo, habet idem alibi, ut Christus ametur, & dicit: numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? quid dicit? nolite mei fitis sed mecū fitis mecum estote, omnes illius sumus qui pro nobis mortuus, qui pro nobis crucifixus est. Qui Spiritus si ageret omnes nulla reverentia libi affectus immoderantia aut radicaret aut fovetur: egit is B. Salesiū cum diceret Fremiotæ suæ: *gnis profectò agor motibus ad directionem & curam tui, scito tamen, O filia, si à Deo acciperem velle seculum ad id applicare muneris, deponerem hanc libertatem sine curam, & te indifferenter in illius traderem manus*

Curæ Pastor. p. 2. c. 8.

Tract. 12. in Joan.

1 Cor. 3.

Tract. 2. in Epist. Joan.

In Vita

pag. 269.

Tu itaque Virgo incurristi offensam apud tuum ^{2 Cor. 5:}
 Dilectum? ad Confessarium tuum propera, in quo 19.
 is *posuit verbum reconciliationis*: colligationes pecca-
 ti colligasti tibi imprudens? eum accede, cui eas da-
 ta potestas dissolvendi: is quidem præferatur, quo-
 cum tibi familiarior secundum interiorem hominem
 notitia; si haberi possit: sin verò absit, eum adhibe,
 qui absentis locum supplet: sin autem avocetur aliò
 vel ad felicem æternitatem abierit, succedat: & in
 curam tui ejus successor: Eliam sequatur Elisæus,
 cum Moyse vitâ simul & officio esset defunctus, ac
 Josue jus successionis obtinuisset, ei se submittebant
 omnes Israëlitæ: „responderunt ad Josue, atque dixe-
 „runt: omnia quæ præcepisti nobis faciemus, & ^{Josue 1:}
 „quocumque miseris ibimus: sicut obedivimus in ^{16, 17, 18}
 „cunctis Moyse ita obediemus & tibi: qui contra-
 „dixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermoni-
 „bus, quos præceperis ei, moriatur. Abeat quis-
 quis abire vult aut debet *Dominus in æternum per-* ^{Psal. 9: 8.}
manet, qui in Ministro solus considerari & agnos-
 ci debet.

SECUNDA est, ne Confessionale Tribunal exi-
 stimet Cathedram Concionatoriam aut Sedem Con-
 fabulatoriam: Scio aliquas querulas quòd sine allo-
 quo longiori dimittantur, neque ad votum diutiùs
 detineantur, at malè: nam cum in Tribunali Pœni-
 tentiæ Sacerdos non agat partes Examinatoris neque
 Accusatoris, quas agere debet ipse Pœnitens, sed
 Præsidis & Judicis, quæ omnia fusè tradit Triden- ^{sess. 14.}
 tinum, certè ubi is post diligens sui scrutinium de- ^{c. 5. §. 8.}
 licta sua manifestarit, non est quod agat Confessarius
 nisi quod remissionis sententiam pro potestate cla-
 vium

viu pronuntiet, & pro qualitate criminum & penitentis facultate salutare & convenientes satisfactiones injungat, quæ non sint tantum ex Concilii præscripto ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem: hæc est Ecclesiæ de Pœnitentia doctrina. Velle autem alienos immiscere discursus nonne id erit sedem Confessionalem in Confabulatoriam commutare? & urgentias instructiones eandem Concionatoriam facere? Quas proinde loco sup. cit. reprehendit Illustriss. Ro-

Num. 1. venius: Ad quid ergo Conciones pro Virginibus Instructiones in Precibus si cujusque Confessionem nova debeat subsequi Prædicatio? Nolo tamen omnino informationem reprobare, scio namq; eam sæpius utilem imò & necessariam, eumque, qui judicem agere etiam esse Medicum qui cum Samaritano vinum consolationis oleumque consolationis & instructionis animæ vulneribus infundat: sed superfluum solummodo à sede Confessionali extorrem urgeo & prescribo.

TERTIA denique est, ne per sacerdotalem Absolutionem vitiosos habitus opinetur tolli: is quorundam sensus est etiam Vitia per Pœnitentiæ Sacramentum aboleri, ideoque suos quotidie lapsus per Confessione enarrant, dummodo iis audiendis Director vacare vellet. At error est & Sacramenti abusus, cum illud, licet fructus, id est, peccata excutiat non tamen vitiorum arborem & radicem excindat aliud ad hoc necessarium antidotum ipsa experientia teste: quæ iracunda, garrula, inobediens, cerebrosa, &c. Confiteatur semel, iterum, imò decies & amplius.

amplius, non ideo fiet mansueta, amans silentii, morigera, &c. Sed manebit, qualis erat, iracunda, loquacula, immorigera: remittuntur quidem peccata iracundiæ, garrulitatis, inobedienciæ, sed eorum fons non exsiccat, neque radix, id est, vitium ipsum extirpatur: propriæ experientiæ magisterium id te docet: non cedunt ad verba Confessionis vitia inveterata: Habitus enim, ut Philosophia docet, non instantaneè sed per actus vel habitus contrarios, aut etiam omnimodam cessationem ab actibus expelluntur: à vitiis tuis, quæ te ad peccata sollicitant & inducunt, vis expediri? ea in te vis extinguere? ne obedias eorum tyrannidi neve iussa exequaris, oppone actus & virtutes contrarias, superbiæ humilitatem, iracundiæ mansuetudinem, inobedienciæ obedientiam, garrulitati modestiam, &c. Unica hæc via est, quâ te ab iis expedias ac liberam præstes. „ Satis delicatè se palpat, (scribit Mel-
 „ leus D. Bernardi calamus) qui vult sine labore
 „ magno studioque continuo vel vitia superare vel
 „ virtutes acquirere: anima autem mole carnis pres-
 „ sa, sicut difficilè ad virtutes surgit, ita facilè in vitia
 „ cadit, quia ista in imo sunt, illæ verò in summa arce
 „ consistunt. „ Suscipiendum est bellum contra vitia,
 „ & gerendum acriter ne ad damnabilia peccata per-
 „ ducatur, (instat S. Aug.) & siquidem victoriarum non-
 „ dum consuetudine roborata sunt facilius vincun-
 „ tur & cedunt: si autem vincere & imperare con-
 „ sueverunt, laboriosâ difficultate superantur, neque
 „ enim id fit veraciter atque sinceriter, nisi veræ de-
 „ lectatione justitiæ. *Suscipiendum est bellum contra
 vitia & gerendum acriter, bellum irreconcilia-*
 S 3 *bile,*

L. de Or-
dine Vitæ.

L. 21. de
Civ. Dei.
c. 16.

Psal. 88:
20.

Rom. 7:
24. & 25.

Ad Fra-
tres de
Monte
Dei.

L. ad
Martyres.
Matt. 26:
41.

c. 5. v. 3.

L. de Vir-
ginib.

bile, odium exitiale, nihil iis indulgendum: auxili-
rem tibi manum Dominus offert qui dixit: *posui ad-*
jutorium in potente: eadem namque gratia, quæ pec-
cata profligat, etiam contra eorundem infestationes
te armat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de cor-*
pore hujus. mortis? inter medios conflictus quidam
ingemiscebat, at animum suppeditabat & vires. *gra-*
tia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non
te deserit qui te vult sanctam corpore & spiritu.

Tu itaque Virgo, quoties ad sacram Confessionem
accedis, non modò defectus tuos deplora, sed & in-
eorum scaturigines earundemque excidium cum
voluntate tua conspira: non sit nudum & perpetuum
invalidum propositum: *Omnis enim vitii fructus*
siccatur rivus, si fons non fuerit obturatus, ait S. Bern.
ideoque operi manum adhibe: sentis naturæ luctum
vel dolorem? memineris illius sententiæ quam habet
Tertullianus: „ Virtus duritiâ exstruitur, mollitiâ
verò destruitur: scimus ex dominico præcepto
quòd caro infirma sit, spiritus promptus: non er-
go nobis blandiamur, quia Dominus consensit car-
nem infirmam esse: propterea enim prædixit spiri-
tum promptum, ut ostenderet quid cui debeat et
se subjectum: scil. ut caro serviat spiritui, infirmior
fortiori, ut ab eo etiam ipsam fortitudinem assu-
mat. „ Quo allegat illud ex Canticis S. Ambrosius
Exploiarvi me tunica mea, quomodo induar illa? la-
pedes meos quomodo inquinabo illos? „ (Vide, inquit)
Anima Deo devota quid dicat: sic se actus corpo-
ris & terrenos exuit mores, ut nesciat quomodo,
etiamsi velit, rursus possit induere: quomodo in-
duam illam? hoc est quâ verecundiâ, quo pudore,
quâ

„ quâ postremò memoriâ? consuetudo enim boni
 „ usum pravitatis veteris amisit. Lavi pedes meos,
 „ quomodo inquinabo eos? non dicit: quomodo
 „ iterum lavabo eos, sed quomodo iterum inquina-
 „ bo illos? quasi oblita maculæ veteris, oblita con-
 „ tagii: admonet igitur in ministerio corporali
 „ quemadmodum spirituale debeamus actuum no-
 „ strorum diluere vestigium. Itaque pedes cum se-
 „ mel laveris æterni fontis irriguo, & mysterii mun-
 „ daveris sacramento, cave iterum corporeæ cupidi-
 „ tatis illuviem, ne lutulenti actus fordibus inqui-
 „ nentur. „ Nemo itaque à peccato tanquam redi-
 „ turus abscedat, nec se hujusmodi quasi societatis
 „ pacto cum iniquitate constringat, ut eam confite-
 „ ri magis quàm cavere delectet: instat S. Augustin. *L. de Vir-*
gin. c. 49.

Pia te ad hoc necessitas compellit, etenim *Virgo co-*
gitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu:
 Conficit hanc sanctitatem Acedia, loquacitas, super-
 bia, iracundia, invidia, &c.? non certè, aliàs (quod
 L. I. adversus Jovin. c. 2. habet Hieronymus) *Virgi-*
nes quoque Vestæ & Junonis Univiræ in Sanctarum
possent ordine numerari; sed hæc veram sanctitatem
vitiant, & ut præsens fætor unguenti suavitatem inficit
& obscurat, ita vitium quoque virtutis adoptionem
interfcindit, habet Gregorius Presbyter. Verùm eam
parturit amor perfectionis, quæ vitia omnia subigat
& exanimet, quæ virtutum semina plantet ac fuc-
rescentia foveat: hoc studium, hoc Virginis sit ex-
ercitium: Cogitat, circa hoc versari & occupari de-
bent ejus cogitationes, affectus & desideria: &, ut sit
sancta, sive quò veram animæ sanctitatem adipisca-
tur, eò omnia ejusdem opera debent collimare: ut sit

L. de vera *sancta*, nam (ut ait D. Basilius) Virginum Sponsa
Virgin. imprimis odit fucatam Virginitatis speciem & habet
L. de ve- tum, quam Ostentitiam inscribit Tertullianus :
land. Virg. Quicumque enim sunt Christi, inquit Apostolus,
Gal. 5:24. quanto magis quæ Christi sunt Sponsæ, carnes
 suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, ut
 prædominantes, si odio salutari necdum extin-
L. de Vir- xerint, qua de causa D. Chrysostomo : Radix &
ginit. c. 80 Fructus Virginitatis vita crucifixa est, nam tam
 gloriosius mens ad superiora promovetur, quanto de-
L. de Ope- ligentius ab inferioribus, juxta D. Augustinum,
re Monach. concupiscentia cohibetur. „ Si mei non fuerint,
Pf. 18:14 dominati (profitetur Regius Psaltes) tunc imma-
 culatus ero & emundabor à delicto maximo : &
 erunt ut complacent eloquia oris mei, & medita-
 tio cordis mei in conspectu tuo semper. Irritat ad
Hom. 8. hanc Vitiorum profligationem Eusebius Emisensis
 Monachos sententiâ gravi, sed quæ & Virgines in-
 tet ac provocet : „ Interdiximus nobis diversas seculi
 voluptates, varios deliciarum sapes, in quibus
 erat aliquid jucunditatis atque dulcedinis, & nunc
 abstinere non possumus à superbia, ab ira, ab in-
 vidia venenatis passionibus, in quibus nihil est nisi
 quicquid amaritudinis atque rancoris est ... in ab-
 dicanda seculi jucunditate tam magna promissimus,
 & nunc maledicere, obtrectare, moveri contra vilia,
 insuper & in hominē irasci & scandalizari, hæc vin-
 cere impossibile ac supra humanam putam⁹ esse vir-
 tutem : sed quòd nunc in minoribus cedimus, per
 vitia nostra ipsi nos non accusamus : docemus enim,
 quod, quicquid hîc agimus non impossibilitatis
 est sed teporis : ideoque respiciamus ad fidem illam
 fervo-

„fervoremque quo cepimus, & ad ornandum con-
 „versationis nostræ usum saltem de primordiis no-
 „stris sumamus exemplum. Si periculosum est non
 „quotidie aliquid addidisse, quantò periculosius est
 „etiam ab initiis recessisse!

Ne ergo ab aliena manu Vitiorum tuorum inter-
 necionem præstoleris, sed eam tu ipsa admoveas, &
 tanquam subsidiarios milites in corde tuo Virtutes
 conscribas, ac contra ea in campum producas. Fui-
 sti hactenus imbellis? vel nunc animos concipe, con-
 stet non sine fructu te usam Pœnitentiæ Sacramento,
 quodque divinæ gratiæ adjutorio, quâ te ibidem in-
 struit gratiarum Autor, intendas cooperari. Vul-
 neraris subinde? Prosterneis quandoque? nil nocet
 neque propterea animum despondeas: non enim qui
 vulneratur aut sternitur, sed qui hosti cedit, is vincit-
 tur. „Certa tanquam bonus miles (nomine Ago-
 „nohetes nostri monet Kempæus) & si interdum ^{3. Imit.}
 „ex fragilitate corruis, resume vires fortiores priori- ^{6. n. 5.}
 „bus fidens de ampliori gratia mea. Verùm haud
 multum proficis? non, quomodo olim Saulis & Jo-
 nathæ, prosperantur & tui conflictus? de quo in eo-
 rum obitu David: *A sanguine interfectorum, ab adi- ^{2. Reg. 1:}*
pe fortium, sagitta Jonathæ nunquam rediit retror- ^{22.}
sum, & gladius Saul non est reversus inanis. Non is
 te beat successus? non est quòd desperes victoriam,
 neque pusillanimitate victa animum abjicias, sed sit
 ad solatium tuum illud præcitati Kempæi: „Qui- ^{L. 1. de}
 „dam à magnis tentationibus custodiuntur, & in ^{Imit. c. 13}
 „parvis quotidianis sæpè vincuntur, ut humiliati ^{n. 8.}
 „nunquam de seipsis in magnis confidant, qui in
 „tam modicis infirmantur. Verùm nos ignoremus pœ-

Epist. 7.
ad Deme-
triad.

nitentiam, concludo & moneo cum D. Hieronymo
ne facile peccemus, in gravioribus scilicet : nam venia-
lia non necessaria, sed libera Confessionis sacramenta-
lis materia sunt, quæ quamquam rectè & utiliter,,
citraque omnem præsumptionem in Confessione,,
dicantur, taceri tamen citra culpam multisque aliis,,

Sess. 14.
c. 5.

Serm. 41.
de Sanct.
& alibi.

Hieron.
supra.

remediis expiari posse, docet Tridentinum : qualia
ex calculo S. Augustini sunt opera misericordiæ &
charitatis, jejunia, preces, venia delicti inimico con-
cessa, &c. *Illa*, scil. *Pœnitentia, quasi secunda post*
nafragium miseris tabula sit, in Virgine integra servat
tur navis : aliud est quærere quod perdidideris, aliud pos
sidere quod nunquam amiseris.

S. V.

De Sacra Communione.

Gen. 24.
53.

Rebecæ Isaaco in Sponsam delectæ per Abrahæ
Servum varia collata munera referunt sacra Pa-
ginæ : *is prolati vasis argenteis & aureis ac vestibus,*
dedit ea Rebecæ pro munere, habet facer Textus. Vir-
gini à se in Sponsam suam assumptæ Christus Domi-
nus Sponsus liberalior, præter Xenia alia, seipsum in
sacra Eucharistia Sacerdotum manibus donat, do-
num revera omnium, sive quæ in cælo sunt, sive
quæ in terra, maximum. Nolo hîc audias incredu-
los Capharnaitas modernorum Novatorum protopa-
rentes, neque attendas ad eorum blasphemias, cum
eodem titulo ac jure rejicere liceat Christum crucifi-
xum, quem prædicatum (licet is sit Dei virtus Dei-
que sapientia) Judæis tamen scandalum, Gentibus
autem